Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36647
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

lac · colostrum · bapdittam · butirum · caseum · et serum. Holerum et fructuum nomina enumerare quis potest? Saporum alii calidi sunt · alii frigidi · alii amari · alii dulces · alii sicci · alii humidi. Potus alii tantum sunt potus · id est qui humectant tantum non nutriunt · ut aqua · alii potus et cibus · id est qui humectant et nutriunt · ut uinum. Rursus quidam cibi sunt · alii naturales sunt cibi · ut uinum et siceram quę libamus · alii accidentales · ut cervisia · medones. Venatio quoque continet omnia pistorum · carnificum · cocorum · cauponum officia. Sexta medicina.

Medicina dividitur in duas partes · occasiones · operationes. Occasiones sex sunt · aer · motus et quies · inanitio et repletio · cibus et potus · somnus et uigilię · et accidentia animę. quę ideo occasiones dicuntur · quia faciunt et conseruant sanitatem · si temperata fuerint · sin autem intemperata infirmitatem. Accidentia animę ideo dicuntur occasio sanitatis uel infirmitatis · quia aliquando uel commouent calorem impetuose · ut ira · uel leniter ut delectationes · uel attrahunt et celant · aut impetuose · ut terror · et timor · aut leuiter ut angustia · et sunt quę mouent naturalem uirtutem · intus et extra ut tristicia. Omnis operatio medicinę aut interior fit · aut exterior. Interior ut ea quę ore · naribus · auribus · siue ano intromittuntur · ut po[...]tiones · uomitiones · pulueres · et cetera quę bibendo uel masticando · uel attrahendo sumuntur. Foris · ut epitimata · cataplasmata · emplastra · cirurgia · que duplex est. In carne · ut incidere · suere · urere · in osse · ut solidare · et iuncturę reddere. Nec mouere est quemquam [?] quod cibum et potum inter attributa medicinę annumero · quę superius uenationi attribui · quia secundum diuersos respectus hoc factum est. Vinum namque in botro agriculturę est · in peno cellararii · in gustu medici. Similiter apparatus ciborum · ad pistrinum · ad macellum · coquinam pertinet · uictus saporis ad medicinam. Septima theatrica.

Theatrica dicitur scientia ludorum a theatro · ubi populus ad ludendum conuenire solebant · non quod in theatro tantum ludus fieri solebat